



# Disputatio medica de febre tertiana intermittente

<https://hdl.handle.net/1874/341911>

8.

D I S P U T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S ,  
D E

# Febre Tertiana Intermittente ,

*Q U A M ,*

F A V E N T E D E O T E R O P T . M A X .  
*Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D . J O A N N I S L U Y T S ,

Philosophiæ Doctoris , ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii ,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicī consensu , Nobilissimaque  
Facultatis MEDICÆ Decreto ,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis  
ritè , ac legitimè consequendis ,

*Eruditorum Examini subjecit*

T H E O D O R U S R O O S , Edami-Batav.

*Ad diem 27. Aprilis horis locoque solius.*



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

---

Ex Officina F R A N C I S C I H A L M A , Academiæ  
Typographi , c l o l c Lxxxviii.

V I R I S  
*Nobilissimis, Amplissimis*

D. JOANNI WITS,  
D. FREDERICO PONT,  
D. JACOBO BRASKER,  
D. ANTONIO BRASKER,

Urbis Edamen-  
fis Consulibus  
dignissimis.

N E C N O N

D. VOLKERT BLOCK, Juris-  
prudentiæ doct. sapientiæ & veritati amantissimo  
fautori meo.

*Clarissimo experientissimoque VIR O,*

D. JOANNI MEY, M.D. Amstel-  
lodami emporii celeberrimi practico felicissimo stu-  
diorum meorum medicorum, præcipuo meritissi-  
mo, summo semper cultu colendo.

*Equissimis VIRIS,*

D. ALBERTO HASSET,  
D. JACOBO STUTS, tutelaribus  
meis.

*Hæc Theses Inaugurales*

D. D. D.

THEODORUS ROOS, Author.

# DISPUTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

D E

### Febre Tertiana Intermittente.



*Agna Tyronibus Medicina, hoc tempore  
nata est difficultas dignoscendi, cui in tan-  
to numero discordantium auctorum, de  
febris, sit credendum. Cum unusquisque  
praeconceptam suam opinionem nullis non vi-  
deatur confirmare argumentis. Verum  
confirmiores probandi rationes petendae sunt,  
à medicis rationalibus, non sola imaginaria  
ratiocinatione, sed & ratione, & experien-  
tiā longā seculorum serie confirmata, doctrinam suam vindicanti-  
bus; eorum iudicium præ reliquis omnibus arbitramur approbandum,  
relictis empiricis, ac omnium sectarum pernicioſissimis (teste Galo-  
no nec non laudatissimo Sylvio) metheticis: quam ob rem ut speci-  
men aliquod cognitionis mee de febris exhiberem, libuit de febre  
tertianā disceptare: quia ea non tantum frequens, sed & omnium  
aliarum febrium potest esse exemplum, ut pote in qua febribus natu-  
ra non parum elucescat. Arque ita quidem, ut rationalium medicorum  
in investiganda febris essentia, & curatione habenda non segnis vi-  
dear imitator.*

### THESSIS I.



*Efinitur febris tertiana; febris cujus paroxismus ter-  
tio die redit.*

*Paroxismus autem febris, dicitur exacerbatio illa,  
quæ in unaquaque febre apparet. Quam ut clarius  
comprehendamus, libet talem statum aliquibus  
dilineare lineis mentis. Homo itaque sanus, qui ad functiones  
peragendas integer, & sine molestia cum animi alacritate idoneus*

*A 2 est,*

#### 4 D I S P U T A T I O M E D I C A

est : cum jam jam appropinquantis febris præludia sentit , gravatur mentis operationibus hebetioribus , & solita mobilitate de-stitutus , vires illius ad labores torpent ; sibimet ipsi gravis est . Præterea ingratæ in corpore adsunt sensationes ; alibi dolores , hic sitis linguae ac labiorum siccitas affigit ; oculi caligant . Ca- lor antea vividus recedit , facies quasi ab aspectu mortis perterrita pallet . Calor fugit . Frigus membra lacinat , imo tremore ac horrore perfundit . Respiratio difficultis est . Frequentes pulsus magnam commotionem testantur . Totam timeres corporis ma-chinam minari ruinam . At pater omnipotens , qui mari terminos & febri limites figit . Itaque respiratione non amplius tremulo horroris motu interruptâ ac dilatato thorace , calor rursus diffunditur , qui frigus depellit ; verum mediocritatem non ob-servat , sed ita dominatur , ut alia iterum indicat incommoda , ac tyrrannidem exerceat . Æstuat non enim tantum in præcordiis calor , sed & in toto corpore : ægris , imo & adstantibus molestus est . Humores per cutis spiracula sudoris speciem effundit , dolores au-get , deliria concitat , & innumerabilibus debachatur sævitiis . Post quas frigoris & caloris , dicamne lites , aut reciprocam alteratio-nem ? sedatis incommodis desideratâ gaudet homo functionum integritate . Sciens præterea plurima , quæ in hoc vel illo indivi-duo contingunt particularum casu . Mitto alterationem excreto-rum nonnunquam contingentem , ut urinæ calorem &c ; sed ea quæ in omnibus , & singulis observari solent , commemoravi .

##### I I.

Quæritur jam quid hoc rei sit , quod istas turbas excitaverit . sive ut clarius loquar quænam febris talis causa sit ? verum de ea re ineffabilis controversia eaque non parvi momenti existit . Sed ne prolixior sim , & in inextricabilem cadam labyrinthum opiniones varias recensendo , respondeo , optimè febris naturam explicari , per perturbatam sanguinis mixtionem hodie a multis receptam , & brevi forsan toto terrarum orbe , ubi tandem innotuerit , recipien-dam ; nisi ab iis forsan non affirmatur , qui noctuis cœciores , perti-naciter & superbe , ægrorum cum damno , proprioque suo cum vi-tuperio , confusis suis præjudiciis , quæ ex non intellecta eruditorum opinione sibi finixerunt , adhærere , quam veritatem aut discere , aut amplecti malunt .

Quid

I N A U G U R A L I S . 5

Quid autem sit perturbata talis mixtio, verbo exponendum est. Ut natura febris clarius intelligatur, & simul respondeatur ad quæstionem, circa quam admiror clarissimum dominum Bontekoe, libro de febribus, pagina **xxi**; an sit ordo quidam mixtionis particularum sanguinis.

Nulli enim ignotum est, ad cujusquumque corporis constitutionem convenientem, requiri ordinatam constitutionem particularum quibus corpus constat. Quia constitutione immutata mox rei essentia immutatur, ordo naturalis usus, quem habebat, pervertitur. & quamvis exactè constitutionem omnium particularum sanguinis nesciamus, quam etiam supra scientiam humanam esse putamus, cum ne quidem minimæ guttæ aquæ, aut unius arenulæ adæquatam habeamus cognitionem, quam & impossibile esse arbitramur; quidquid de mathematicâ certa cognitione garriant quidam, qui pro demonstratione, evidenti suppositione utuntur, quâ non probant omnium particularum molēm, figuram, numerum, sed calculum supponunt, secundum quem tot particulas seri, salis, tot olei dicitant, sed dum mille ponantur, utrum non una vel plures deficiant, ipsi sciant; nos tamen aliquam habere scientiam, quæ cognitioni, explicationi, & curationi febrium non parum inservit, non dubitamus.

Sed hic ea, quæ nimis difficilia sunt, determinemus. In genere tantum dicemus cum Hipp. de præsca medecina. T. **xxiv**. in sanguine adesse *salsum*, & *dulce*, & *acidum*, & *acerbum*, & *insipidum*, aliaque multa; quæ convenienter mixta statim efficiunt naturalem, at e contra inter se male mixta, exsuperantia, secreta, producunt morbos, inter quos etiam numeratur febris, quæ tunc denominatur, quando jam antea recensita conspicuntur symptomata & præfertim quando observatur pulsus præter naturam frequentior, cum fermentatione sanguinis præternaturali.

I I I.

Diluam objectionem, quum forsan ab aliquo objiceretur, circulum præcedentem explicatione commissum, & nil quoad caput quæstionis pertinet, exactè elucidatum. Quam ob rem libet inire recentiorum quorundam beneplacitum, considerantium sanguinem ut *liquorem* & quidem *calidum* motu circulatorio per corpus propulsum.

A 3

IV. In

## DISPUTATIO MEDICA.

### I V.

In sanguine considerato tanquam *liquore* occurrent particulae singulæ (de quibus jam verbo dictum est) inter se motæ, & à materia subtili quaquaversum agitatæ; inter quas partes dici potest minere particulæ, serosas oleosas, & salinas, ex quibus cum aliis reliquis mixtis oritur sanguinis & aliorum humorum consistentia, de quâ audi dominum Bontekoe in fragmentis dicentem p. 88. omnes humores tenues & calidos esse oportet, ut per angusta vasa transeant, verum etiam consistentiam quandam habere debent, aut visciditatem, &c. ne per vasorum poros effluant. deinde quatenus reliquis sensuum organis à nobis percipitur sanguis, ex varia dispositione, quam habet, oritur sensatio caloris coloris &c. considerando autem sanguinem ut *calidum*, examinandus est motus particularum variarum celer & confusus, è quo in nobis sensus caloris producitur, qui itaque à solo motu humoris, utpote corporis tantum liquidus differt, & notabilem insuper attentionem meretur; præferim in sanguine, in quo tanta mutationis diversitas à calore, vel frigore, in consistentia, calore &c. nobis appareat.

Tandem rationis ductu sequendo sanguinem *moto circulatorio per corpus propulsum*; transitus de loco ad locum, liquoris dispartitio in varios vasorum ramos, particularum quarundam alibi secretio, & è corpore ejectio, investigando.

Quam telam nem minus producatur abrumpens ad caput rei revertor visurus quomodo hæc in febre tertianâ à statu naturali sanitatis differant, & quænam contingat mutatio. Hic vero, hinc atque illic stant variæ disputantium acies. Multi Methodicorum nostrorum putant in omnibus febribus, semper adesse particulæ sanguinis inter se minus mobiles, adeoque concretas esse multas, & totam consistentiam minus fluidam, at incrassatam.

Calorem etiam, quis crederet, nisi ab ipsis audiret, in febribus etiam calidissimis, non esse auctum, sed diminutum, & semper quam in homine sano minorem: tandem quod ex hisce concluditur; circulationem esse retardatam, & multo tardius procedentem. Loca ex quibus hæc probari possunt, non annexam qui enim ea, ex libello domini Bontekoe & quorundam ejus sectatorum legerunt, tædio moverentur nostra repetitione; quam ob rem nec omnes

omnes eorum argutias, quibus hic opinionem suam fulciunt, annetam, sed temporis utilitati parcens, ad veritatem proponendam progrediar.

## V.

Primo nil evidentius est, quam

*esse modum in rebus, & certas denique fines  
quos ultra citraquè nequit consistere rectum.*

cum igitur nulla hactenus fuerit demonstratio, quâ probatum est particulas feri, ac salinas in sanguine non posse augeri & acriores fieri, at è contra, balsamicas, oleosas, sive quocumque nomine vocatas quibus consistentia sanguinis laudabilis conservatur ita posse diminui, diffringi, vel alterari, ut sanguis non crassior, sed dilutior, tenuior, acrior, & minus crassæ consistentiæ valet, nos credimus hoc quandoque fieri, confirmari non tantum ratione, quam adferre possumus, sed evidenti experientiâ, quâ visum est sanguinem è vena missum sæpius multo minore lentore, visciditate, crassitie &c. creditum in febris pestilentialibus, quam in lue venerea, in qua febris non adest, imo minor ad febrim propclitas. Quod autem ad calorem attinet, dicimus enim non esse immediatum effectum circulationis, sed effervescentiæ sive si mavis fermentationis particularum sanguinis inter se. Igitur videndum, utrum præsente calore, major, an minor existat in sanguine effervescentia, quid de circulatione dicendum sit, postea inquirendum, & non omnia confundenda ut quidam fecerunt. Ut autem in præsentiarum de calore differamus, perpendendum est quid sit causa caloris? in quo jam omnes sectæ philosophorum optimè conveniunt calorem propriè dictum esse sensationem ab anima perceptam, ejusque causam esse confusum & celerem motum particularum, nervorum fibritias ita moventem, ut inde talis sensatio producatur. Quandoque sumitur tamen vox calor pro tali motu, ex quo in nobis sensatio exsurgit, & tunc ab effectu tribuitur denominatio, quia talis motus calorem efficit. Hoc fundamentum cum jecerimus, inquirendum est, an major, vel minor causa caloris in febricitante adsit? Qui ex effectu causam colligunt, respondent cum distinctione; scilicet causam caloris in febris multum variare, pro ut febres variant, dari enim febres in quibus

## 8 D I S P U T A T I O M E D I C A

bus tototempore exacerbationis calor decet & algor ex superat, unde algidæ dictæ; deinde alias inveniri febres in quibus aliquo tempore exacerbationis calor, reliquo & majore spatio eminet, tandem esse febres in quibus aliquot diebus totoque exacerbationis tempore calor continuo abundat, licet vel minus vel plus subinde remittat, in quibus ex sensatione caloris tanquam effectum colligunt adesse caloris causam &c. causam, id est auctam in sanguine agitationem talem particularum, & è contra similiter dijudicandum de sensatione frigoris idque tam verosimili imo evidenti probatione ut omnes paleæ objectionis bilanci rationes expositæ, gravi veritatis pondere tollantur, discutiantur, ac dispareant: quod luculenter apparebit, si perpendamus contrarias opiniones.

## V I.

Magni momenti ut videantur adferre argenta, alta voce exclamat; in homine sano celerem ac non impeditam fieri circulationem humorum. Quid indè rogamus. Illi; ergo non posse sentiri calorem in sanguine jugiter circulante, & ne id examini subjiciatur, raptim prosequuntur; ergo si minus celeriter sanguis progrediatur, mora longiore diutius in unaquaque fibrilla hærente, calor major percipitur, etiam si minor adsit. At heu! boni viri! sic enim vobiscum agam, non ut præjudicio commotus esse videar, sed discendi cupiditate, nondum nostro ordine neque etiam vestro pervenimus ad circulationem. prius perpendiculariter sanguinem tanquam *liquorem*, nunc tanquam *calidum*, de quo rogamus, utrum nunquam diminuatur vel augeatur in sanguine calor, id est motus qui caloris causa est? Nullum hactenus observarii, qui id confiteretur, & nobiscum consentiret quandoque diminui calorem; atque ut exemplum aliquod afferam hoc, ex quo nulla alterationis causa productetur, ponam paroxysmum febris tertianæ cum frigore invadente, in quo credimus, perturbata sanguinis mixtione, talem nasci statum, ut agitatio particularum in sanguine à materia subtili motarum ita etiam turbetur, ut inde calor diminuatur.

Sit itaque confectum hoc modo diminui calorem. Verum, quid jam dicemus de calore aucto? si nobiscum concedant augeri calorem in homine à calore externo, ignis, aris, vel motu corporis

## I N A U G U R A L I S.

poris valide, assumptis calidis sc. bene se habent verum, an etiam calor augeatur in febribus? negant hoc, qui sustinent in febribus calidissimis calorem esse multo minorem, quam in statu naturali. Hic itaque litis causa pendet. Ex sensatione frigoris frigus adesse concedunt, & concludunt; attamen ex sensatione caloris calorem adesse pernegant, & uti sibi persuadent, repellunt. At quo argumento qui calore frigus depelli conceditis, adeoque calorem esse, qui in febre tertiana prius frigus depellit, affirmatis, non esse calorem, qui deinceps auctus caloris sensus auget, demonstratis. Altum hic est silentium, neque video refutium, nisi illud ante allatum, non esse verum calorem, sed apparentem in diminuta circulatione, igitur & id refutavimus, cum jam ordo ad circulationem nos perduxerit.

### V I I.

Tanto nunc ardore de circulatione sanguinis disceptatur, ut si febre algentes contentionem inirent, mox calor per totum corpus accenderetur, promoveri etiam rapidius circulationem fervore statueres, nisi ipsi inficerentur calorem sentiri posse in aliquo, in quo sanguis celerius circulatur. Hoc quod antea præclarissimum philosophorum, ac medico rum sententiis stabilitum est nunc paradoxa objectione impugnatur, quam tamen, ut opinor, inconcussum sustinebit, ut patebit in ea, quæ inter plurimas de circulatione quæstiones eminet &c., & præcipue hic ad scopum nostrum pertinet, scilicet utrum in omni febre sanguis tardius, an celerius circuletur? auctam esse circulationem à quibusdam traditum esse; alii sempèr & in omni febre diminutum esse circuitum sanguinis contendunt. Quod nos modo de circulatione distinctius dicendum erat, hic non discutiemus, neque etiam, eâ de re quid sentiendum est, hic declarabitur; quod, Deo optimo maximoque placuerit, alii occasione reservatur. Sed cum hic examinare decrevimus illorum sententiam, qui sanguinis fluiditatem, calorem, & auctam circulationem in omni, etiam calidissima febre impugnant, eos hic refutavimus.

### V I I I.

Sustinent illi diminutam esse circulationem sanguinis, quia sanguinis consistentia semper in febribus crassior, probant autem

B

esse

## 16 DISPUTATIO MEDICA

esse crassiores quia calor sanguinis tunc minor est: verum enim vero illud nondum satis evidenter demonstratum est; cum enim id probaretur, non ad intestinum & confusum motum particularum sanguinis inter se, ex quo illud erat probandum, sed ad circulationem fiebat transgressio, quæ nondum erat probata. Videamus itaque utrum jam probari possit. rogo itaque ex quibus signis de celeritate majore vel minore circulationis indicari possit, vel enim ea signa sunt, vel non sunt, si autæ circulationis signa sunt, quænam talia? nullum enim nisi ab iis signum alligatum, si non sunt, quare causa non alligatur? in signis diminutæ circulationis convenimus, ea esse pallorem faciei, frigus corporis, lepothymiam, syncopen &c. cur de causa etiam non convenimus in signis auctæ circulationis; quamquam quid loquor de signis auctæ circulationis cum illis, qui ne ista adferre cogantur, hanc nunquam dari libentius fatebuntur, aut si eam concedant, necesse est, ut in aliquo qui potu aut medicamentum calidum sudoriferum assumpsit talem esse admittant. Is autem calorem sentit, pulsus concitatum, & frequentem habet, calet, rubet, sudore madet, & similia symptomata conspicienda præbet; quæ quorundam febricitantium symptomatibus tam vicina sunt, ut nullus adversariorum nostrorum ad patientem accedens digne-  
re semper valeat, utrum aut sanguinus motu proprio, aut me-  
dicamentorum efficientia sint producta; concedendum est ergo ab  
iis ut minimum, signa esse dubia & fallacia, ac non, quod illi  
volunt, esse certa & necessaria diminutæ circulationis indicia;  
nam si ergo dubia sunt auctæ circulationis extra febrim cumco-  
mitantia signa esse possunt, cur quandoque etiam in febribus non  
sunt? Novi quidem dari diversitatem in sanguine febricitantis su-  
dantis ea signa habentis, quam in sanguine currentis sudorife-  
ram affumentis, & alia accidentia terentis; sed cum ita non re-  
pugnant, quandoque in uno eodemque simul reperi, & cum-  
comitari auctam circulationem posse à Medicamento sudorifero,  
cum motu sanguinis febrili arbitramur; et si illi autem ad febrem  
id est secundum eos diminutam sanguinis circulationem promo-  
vendam se calidissima & sudorisera Medicamenta præscripsisse  
opinantur.

IX. His

## I X.

His itaque contentionum fluctibus immersi , placidiori nunc fluxu vehamur , & ad febris tertianæ curationem progrediamur ; quæ et si ut præstantissimi quidam confessi sunt , antea incerta ac magis casu , quam consilio facta fuerit , jam tamen felici experientia toties quorundam medicorum methodus est confirmata ut desideranti febris promotionem eam fere ad libitum promittere audent . Medicamenta , quibus utuntur , eliguntur præcipue ex sequentibus , ac primo quidem ex salibus præscribuntur fixa , calcalia sal. tartari , item alia ut absentia , cardobened. quandoque & salia ex alcali aut acido natura vel arte commixta , ut sunt sal ammoniac. nitrum , tartar. vitriolat. & alia simili modo parata , ut sal absenth. cum sp. nitri , aut sulphuris combinatum , quibus junguntur nonnunquam salia volatilia ut cornu cervi , sal ammoniac. succin. quibus succedunt terrestria , mineralia atque ex iis præparata , testacea ut sunt bolus armena varia ex Antimonio præp. ut antimon. diaphoreticum bezoardicum minerale , varia ex mercurio præp. item ex plumbō , testæ cocharum , ovorum , item ocul. cancr. corall. succin. & similia. Ita tamen ut non excludantur , sed sæpius præferantur vegetabilia ut sunt card. bened. rad. gentianæ , imperatoriae , zinciberis , cortex limæ , hind. , crocus , camph. & reliqua ex auctoribus practicis eligenda. Ex quibus consideratis , ægri morbi quæ natura aut statu , item reliquis considerandis consideratis , medicamenta opportuna concinnari possunt verbo vocatur medicus ad ægrum Febri tertiana laborantem , qui jam secundo paroxysmo exacerbatur ita ut ejus symptomata innoverint , præscribi possunt tales pulveres &c. ocul. cancr. 36. sal. tart. prunell. an gr. xv. f. pulv. exhibendi ratione circumstan- tiarum tempore maximè opportuno , quibus addi possunt aliquot grena Bezoardic. mineralis vel camph. vel croc. assumantur cum liquore convenienti. Die intermissionis videndum , an quid non tantum in sanguine , sed in intestinis glandulisque vicinis , quod Febrim , si non evacuaretur , aut emendaretur , augere , aut præsentem fovere possit. Hinc itaque inquirendum , an vomitorium conveniat , quod fieri possit ex aqua benedicta Rulandi. sal. vitriol. rad. asar. , vel si alvus laxanda , præscribatur

apoze-

## 12 DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

apozema. &c. rad. taraxic. ʒij. liquoritiae ʒs. herb. bætonic. fumariæ an. M. i. fol. senn. ʒij. sem. fænicul. tremor. tart. an. ʒij. coq. calatetæ unciarum xx. adde syrup. cichor. cum rheo ʒj. sal. abfenth. ʒj. f. apozema, de quo bibatur unus vel alias hauſtus, donec alvus satis deposuerit, aut si loco purgationis venuſectio indicatur, istud indicationi satisfaciendum. Paraxismo sequente videndum, qualia urgeant & supersint symptomata, ut ea convenienti medicamentorum auxilio superentur. Observandum est, ut quo intensor calor, delirium, urinæ rubedo, similiaque adsint, eo magis calorem infringientia spirituum concitatum ut confusum motum sedantia, & particularum fermentabilium agitationem compescendam, atque usurpanda sunt medicamenta particulas minus ad concitatum motum aptas habentia, verum enim infringientia & mixtionem perturbatam ad ordinatam redigentia, ut sal. priniest. tart. vitriol. imo & quandoque sp. acidi ut fulph. qui tamen circumspete & prudenter usurpandi sunt, item antimon. diaphoret. ocul. cancr. corall. &c. & quandoque etiam serosa diluentia, ut emulſiones ex hordeo, sem. cucum. melon. &c. quibus prudenti judicio anodyna, & opiate; si autem tertiana non sit exquisita, nequè in qua calor valde molestus, verum diuturnum frigus, horror, corporis ad Leucophlematiam propensio, magnaque humorum viscidorum exuperantia, sputa viscida, urina pallida cum sedimento viscido; tunc incidentia calidaque præparanda ut apozemata, ex rad. Heleni, galep. tid. cochl. item vina medicata ex similibus parata, olea aromatica, salia volatilia, oleosa &c. ut elixir vitæ, proprietatis, addito sal. volatile. oleoso &c. quibus felicem fieri curationem quotidiana experientia confirmatur, ut omnium practicorum observationes & curatorum præconia toti orbi testantur, quam itaque jactari proponimus. Itaque ut Deus optimus maximus ad nominis sui gloriam. ægrorumque salutem dirigere, protegere, ac benedicere dignetur, oramus.

F I N I S.